



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corona Sacratissimorvm Jesu [Iesu] Christi Vulnervm

**Wael Van Vronesteyn, Willem de
Antverpiæ, 1649**

Civitates refugii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49125](#)

Christi Vulnerum. 107
ad dexteram tuam sedens, ac vulnera sua ostentans interpellat pro nobis. Quomodo nos amasti Pater bone!

CONSIDERATIO IV.

Vulnera Christi

Vrbes refugii.

LEGES non omni crimini asylum concedunt, concedit Salvatoris erga nos pietas in sacratissimis suis vulneribus quantumcumq; enormi. Quod observasse videtur Dongardus Scotorum Rex, qui pro suo in Salvatorem Hec. Boët. lib. 18. Hist. Scot. factu ac religione, loca omnia illi, ac sacrosanctæ ejus cruci sacra, servis, fugitivis, fontibus cuiusvis flagitii reis, toto regno suo, asylum, publico edicto, esse jussit; cavitque, ne quamdiu in illis laterent, ullâ auctoritate, ad judicium raperentur, memor procul dubio Dominum peccatoribus omnibus contra justissimam Patris sui cœlestis iram, in sacris suis vulneribus securissimum refugium præstare.

Tres

*Deut. 4.
v. 43.
Ios. c. 20.
v. 8.* Tres urbes refugii statuerat Moyses, Iosue sex, in quas, qui homicidii rei erant, se reciperent. Magne Deus, quoniam criminum me reum agnosco! leve est homicidium, cum me quasi parricidam tui considero. quod à facie iræ tuæ configiam? aut quis securitati meæ locus aperietur?

Ne time peccatrix anima, civitatem refugii unam tibi constituo, in quam te recipias, adeò muniam, ut nec cœlum, nec terra, nec inferi adversus eam possint prævalere, de qua eleganter ille,

*Iugl. Elog.
86.*

*In civitatem refugii,
Quod facilior sit reis ingressus,
Non in uno dumtaxat latere
Sed & in omni angulo
Suam pandi januam decuit.*

Civitas hęc est Cor Domini Iesu quinque patens januis, qui pro te mortuus & crucifixus est; quem tamen iterum peccatis tuis in te crucifixisti, ut ait Apostolus, adeò tamen clemens, ac benignus est, ut in hoc suo Deicidio, tibi pro refugio, latus ac cor suum offerat, sacris suis quatuor aliis vulneribus,

neribus, ut in ipso securior lateas, quasi
tolidem propugnaculis communatum.
Si quis fugerit, in aliquam scilicet de-
signatarum urbium, vivet, ait, Scriptu-
ra. Tutum refugium, ait Augustinus, mihi *In Man.*
præbent vulnera Salvatoris. Columba mea in fo-^{c. 22.}
raminibus petræ. Si, iuxta Apostolum, inquit ^{Cant. 2.}
B. Petrus Damianus, Christus petra est, fo-^{v. 14.}
ramina petræ Redemptoris sunt vulnera, in qui-^{Lib. 7. ep.}
bus foraminibus columba subsistit, quia quælibet
anima totam propriæ salutis spem, in sui Redem-
ptoris passione constituit. Ibi velut ab accipitris
in cursu defenditur, quia à cunctis malignorum
spirituum insidiis custoditur. Et Bernardus
Damianum secutus, Columba, inquit, mea
in foraminibus petræ. Hæc petræ foramina rectè
quidam vulnera Salvatoris interpretatur. In his
passer nidum sibi, & turtur domum invenit: in his
columba se tuetur, & secura circumvolantem in-
tuetur accipitrem.

In vita Xenocratis, memorabilis re-
fertur eventus qui ad rem nostram mi-<sup>Manut. in
Apot. l. 7.
n. 135.</sup>
rè facit. Passerem insequebatur accipi-
ter, ille volatu vario, ac flexu, hostem
deludens, tandem anhelus, & jam jam
capi, ac laniari metuens ad Chalcædo-
nem

nem sub fago intuetur Senatum considerere , in cuius medium convolans pro azylo Xenocratis sinum occupat , qui aviculæ misertus , atque ad collegas conversis; oportet, inquit, profugam, ac supplicē protegere. Eia anima mea, te accipiter tartareus, ut passerem mox discerpendum insectatur , ecce Senatum sacratissimum in Calvariæ monte sub Crucis arbore congregatum; mortuum scilicet pro te Salvatorem in virgineo matris gremio depositum, Ioannem Zebedæi, Iosephum Arimathæū, Nicodemum , aliosq; de sepultura defuncti Iesu consilia agitantes: Conice te , si rapacem cupis hostem evadete,in sacrum hunc confessum, confuge in sinum, imò in latus Salvatoris tui.

Serm. 61. in Cant. Nam ubi tuta, firmaq; securitas, inquit Bernardus, nisi in vulneribus Salvatoris? tanto illic securior habitus, quanto ille potentior est ad salvandum. Fremat mundus, premat corpus, diabolus insidietur: ne time, quia in foraminibus petræ secura es. Hæc Bernardus.

Serm. 61. in Cant. Age itaque, anima mea , totâ devotione, cum Bernardo , in Christi vulneribus, & jugi

& jugi meditatione demorare , inde Martyr-
rii omnisque adversitatis tolerantia , inde tibi
magna fiducia apud Deum altissimum. Nam
quid est ; quod stet Martyr tripudians , ac
triumphans , toto licet laceratus corpore , &
rimante latera ferro , non modo fortiter , sed
& alacriter , sacrum videns è carne sua ebullire
cruorem ? Tryphon miles fortis , & Brev. Rom.
sanctus in equuleo torquetur , & ferreis 10. Nov.
ungulis excarnificatur. Deinde subli-
mes pedes clavis cendentibus ad tra-
bem confixus , fustibus cæditur , facibus
aduritur ; Conon ante Imperatoris cur-
rum , pedibus , clavis transfixis currere
jubetur , & cursui immoritur. Vbinam ,
quærit Bernardus , tum Martyrum erat a-
nima ? nemp̄ in foraminibus petræ , in visceribus
Iesu , vulneribus nimirum patentibus ad intro-
eundum. Ecce anima mea Martyrum in
tormentis , ecce tuum in tentatione , ac
ærumnis perfugium.

Ad illud se invitabat beatus Vbertinus Anonymus
de Casali è S. Francisci familiâ , vir do- tract. Ital.
ctissimus ac religiosissimus . de pass.
Veni , inquit , Dom.
anima mea , & ingredere benedictam domum In arb. vi-
tuam . Quid foris manes ? profuge ad locum ta crucifixæ
Iesu . I. I.
taber- c. 9.

tabernaculi admirabilis, ad terram promissionis,
ad sacratissima scilicet Domini Iesu vulnera, non
jam lacte, & melle, sed divina benignitate, &
suavitate manantia. Ingredere ergo, & caveto e-
gredi cor divinum, & amabile Salvatoris tui, in
quo es quidquid es, & extra quod non bene es.
Nam, non esse cum eo qui vita est &
omnia est, nec vivere, nec esse est. Dina
egressa est, ut videret filias regionis alienae, & se
vanitatem illarum pasceret, & periret. Semei Hiero-
solymâ egressus est, ut servos suos, mundi scilicet
honorem, & gloriam quereret, & trucidatus est.
Prodigus ille egressus paternâ domo, abiit in re-
gionem longinquam, & tantum non fame est ab-
sumptus. Occlude itaque anima cordis Iesu ostium,
in hoc cubiculo te contine, in hac urbe refugii, in
qua secura nullum hostem timeas; extra quam
cum Dina, Semei, ac Prodigio necesse est ut pereas,
uti peribat nocens quisquis in lege veteri extra
refugii urbem deprehendebatur.

In hac refugii urbe perstigit ille, qui
graviter oppugnanti se dæmoni aie-
bat; vulnera Domini Iesu sibi locum
refugii esse, atque in iis se tutum se-
curumque vivere.

Verum quando opportunius ad hoc
asylum

Christi Vulnerum.

113

asylum confugiemus? Refert Archi-
diaconus, olim Sacerdotem sacram
Eucharistiam per plateas deferen-
tem, pro asylo fuisse. Ad hoc idem asy-
lum confuge anima mea, cum è Sacer-
dotis manibus Sacratissimo Domini
corpore reficeris. Patent enim tum ti-
bi ejus manus, pedes, ac latus, ut in illa
tanquam in securissimum asylum te
recipias.

*In caus.
quest. 12.
q. 2.*

Neque tantum dum vitâ fungimur,
sed etiam cùm eâ defungimur, ad has
refugii vrbes nobis confugiendum est
cum Sancto Præsule Eligio, qui ani-
mam agens: *Aperi mihi*, inquit, *Domi-*
ne, aperi mihi latus tuum, & cor divinum
lanceâ apertum, ut Principes tenebrarum, non
occurrant mihi, nec me conturbent potestates
aëris hujus, sed hoc sanctum vulnus tuum pro-
tegat me, & potentia tua defendat me. Ita &
tu anima mea, cum Præsule hoc san-
cto, & cum sancta Matre Ecclesia opta
& ora.

*In vita
eius.*

O bone Iesu exaudi me,
Intra vulnera tua absconde me,
Ne permittas me separari à te,

H

Ab

*Corona Sacratissimorum
Ab hoste maligno defende me,
In hora mortis meæ voca me,*

CONSIDERATIO V.

Vulnera Christi.

Remissio debitorum nostrorum.

Carlo V. magno Cæsari Antverpiam suam visenti, Mercator prædives, in amplissimo conclave luculentum ex cinnamomo, aliisq; aromatibus ignem struxisse fertur, displicuit Cæsari prodigalitas; per placuit tamen illi alterius Mercatoris munificentia, quâ flammis Chirographum injecit multorum millium aureorum, quos Cæsar illi debebat.

Tali & nobis igne opus est, ut in eo Chirographum decreti exuramus, quod iuxta Apostolum, nobis contrarium, & uti sanctus Thomas ait, est in Dei, conscientiæ nostræ ac diaboli manibus. Omnes enim, qui se peccato obstringunt, obligacionem scribunt, juxta Origenem, reos se esse pœna-

*Colof. 2.
v. 14.*

Ibid.

*Hom. I. in
Genes.*